

Rupert.  
Seneca.

Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 18. Et sensu per-  
cussationem Regis, vera correctione supplevit.  
Ac si Jacob debuocinaret in aula, quod Seneca  
suum ad Lucilium Epistol. 102. Quid-  
quid, Princeps, ait, circa te jacet rerum tan-  
quam loci hospitalis sarcinas specia; transcu-  
dum est.

166.  
Genes. 32.

Post luctam Jacob cum Angelo initam, pe-  
de malè presso claudicabat, ait Text. Genes. 32.  
num. 31. Ipse verò claudicabat pede. Jacob uno  
pede turpiter contracto, altero tantum ter-  
ram premebat: Quomodo Jacob post luctam

cum Angelo, ac amplissimam benedictionem  
ab eo acceptam in talem claudicationem in-  
currit, cum potius ab ipsa benedictione om-  
nia bona in eum defluerint; & quia tantis  
bonis Cœlestibus erat cumulatus, inde claudi-  
cabat pede; certus enim de bonis amplissimis,  
pedem à terris avellit, & affectum terrenum  
exiit, ut adhuc in vivis existens vix terram  
tangeret. Rupertus lib. 8. in Genes. cap. 9. *Ipse  
claudus salit, & ascendit ut cervus, terramque  
vix tangere dignatur, nam conversatio ejus in  
caelis est.*

Rupert.



# CAPUT NONUM.

**R**OSEQUITUR Joannes tertiam hujus operis visionem, &  
in superiori capite ex septem Angelis, quos cum tubis in Cœlo aspexerat,  
quatuor tantum explicavit; hoc verò caput à versiculo primo. *Quin-  
i Angeli narrationem ponit; & cadit de Cœlo stella que puteum abissi  
aperuit, & prodeunt monst ruose locusta, deinde à num. 3. introducitur  
sextus Angelus tuba canens, & solvuntur qua tuor Angeli ligati in Euphrate.*

Apoc. 9. n. 1. Et quintus Angelus tuba  
cecinit, & vidi stellam  
de Cœlo cecidisse in ter-  
ram, & data est ei clavis  
putei abyssi.  
Num. 2. Et aperuit puteum abyssi,  
& ascendit fumus putei,  
sicut fumus fornacis  
magnæ, & obscuratus  
est Sol, & aer de fumo  
putei.

dentis, & obtenebratus  
est sol.  
Arabicus. Ascendit fumus de imo  
putei.  
Pagninus. Aperuit puteum voragi-  
nis.

## EXPOSITIO I.

**E**T quintus Angelus Tuba ceci-  
nit, id est quintus ordo præ-  
dicatorum, seu quinto loco  
fides insonuit præconio con-  
cionatorum in orbe propa-  
gata, & tunc maxime florens profligato idolo-  
rum cultu per Constantinum. *Vidi stellam  
cecidisse in terram, magno ac præcipiti casu.  
Stella hæc lucifer est, qui tanquam stella in  
exordio mundi de Cœlo cecidit. Isai. 14. Quem  
Joannes nunc ait, visione imaginaria vidisse  
cecidisse, ut quaestione 1. sequenti expli-  
cabo.*

*Et data est ei clavis. Ex divina permissione  
facta est ei potestas ad hæresim, ac errorum  
colluvionem per totum orbem disseminan-  
dum, præcipue ultimis temporibus. Putei  
abyssi, Emphaticè denota magnam profun-  
ditatem; nam abyssus ex Græca radice  
dicitur de re valde profunda, & per transla-  
tionem hic denotat internum; ut dicam qua-  
estione 1.  
Aperuit puteum abyssi Scilicet infernum,  
nam ab ipso omnis error, ac hæresis prodit  
Et ascendit fumus sicut fornacis magna, hæc  
omnia*

## VERSIONES.

Syrus. n. 1. Et ille quintus Angelus  
clanxit.  
Arabicus. Quintus Angelus clanxit  
buccina; & vidi stellam à  
Cœlo cecidisse, & data  
est eis clavis putei abyf-  
forum.  
Arias. Vidi stellam de Cœlo la-  
psam.  
Pagninus. Data est eis clavis voragi-  
nis.  
Syrus. n. 2. Et ascendit fumus putei,  
sicut fumus fornacis ac-  
centæ.  
Arias. Sicut fumus fornacis ar-

Puteus abyssi.

Fumus for-  
nacis.

omnia metaphorica, & ænigmata sunt, fumus  
hic idem est ac publicario, & evulgatio erro-  
rum, ac hæresum, quæ tanquam fumus mentem  
obscurant, & obtenebrant. *Et obscuratus est sol,  
id est Christus sol justitiæ. Non in se ipso, non  
accedet ad te malum, sed talis obtenebratio de-  
venit ad ejus cognitionem, agnitionem, ad  
ejus gratiæ splendorem, ac nitorem. Aer-  
que etiam obscuratus est. Ecclesia nempe à tan-  
ta persecucione; nam sicut Aer à Sole illumina-  
tur, sic Ecclesia à Christo, vel ut alii exponunt.  
Obscuratus est scilicet populus, qui à Platatis  
tanquam à Sole illuminatur.*

D. Augustino, Beda, Pannonio, Ruperto, Ri-  
chardo, Joachimo Abbate, Haymone, Alberto  
Magno, Gagnæo, Viegæ, & aliis per hanc stel-  
lam denotari Luciferum, qui communi locu-  
tione dicitur cadere de cœlo juxta illud Isai. 34.  
num. 12. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui  
manè oriebaris. Nam ex casu ejus è cœlo præ-  
missa est ei à Deo potestas ad aperiendum pu-  
teum nequitie infernalis tot malorum, erro-  
rum, ac hæresum, quæ hominum mentes, tan-  
quam caliginosus fumus excæcant, ac obtene-  
brant.*

Dices; non videtur verisimile, stellam de  
qua modo Joannes hic agit, esse Luciferum,  
nam multò ante hoc tempus, quo talia Joanni  
manifestabantur, Lucifer è cœlo cecidit; in  
ipso nempe mundi exordio, ergo stella, quam  
Joannes suo tempore vidit cadere, non est  
Lucifer.

## QUESTIO I.

*Quid significetur per stellam cadentem  
de cœlo cui data est potestas puteum  
abyssi aperiendi?*

Ribeira.  
Cornelius.  
Menoch.  
La Haye.

**R**ibeira, & cum eo Cornelius, Menochius,  
La Haye, dicunt, quod ista stella unus  
Angelus est è bonis, qui præsidet inferno, &  
è cœlo descendit habens clavem Abyssi, id est  
habens potestatem aperiendi, & laxandi in-  
fernum. Claves enim infernalis carceris, non  
committuntur Lucifero, aut dæmonibus, ut  
potè damnatis, & incarceratis; sed Angelis bo-  
nis, utpotè Dei ejusque justitiæ ministris. Ta-  
men contra hanc doctrinam multa militent. Et  
primò, quia nulla est causa cur modo Angelus  
bonus vocetur hæc stella, & non potius dicatur  
Angelus, cum passim in Apocalypsi de Angelis  
fiat mentio. Secundo Angelus bonus, cum des-  
cendit de cœlo ad aliquod opus, nunquam di-  
citur cadere, hæc enim locutio proprie spectat  
ad Satanam, qui dicitur cadere è cœlo, ut sta-  
tim dicam.

Impugna.

Alcazar.

Rom. 7.

Impugna.

Joan. 5.

Secundo, Alcazar, ait quod hæc st. lla signi-  
ficat Judam proditorem, vel legem Moysis, quæ  
quasi puteus desuper ruens Judæos oppresserit,  
& per occasionem, ut idem dicit Alcazar con-  
cupiscentias in eis excitaverit. Rom. 7. num. 7.  
Hæc tamen expositio valde violenta est, nam  
quæ de hac stella dicuntur minime Judæ con-  
veniant, nec etiam legi Moysi, quam Judæi sua  
malitia, ac perfidia obæcati non intellexerunt,  
nam si intelligerent, Christum verum Messiam,  
ac Dominum adorassent; juxta illud Joann. 5.  
num. 46. *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan  
& mihi.*

Tertio, aliqui varios hæresiarthas sub hæc  
stella intelligunt. Ferrar. Arrius. B. larm. Lp-  
therum, alii Calvinum, & etiam alii Malco-  
metum, & quanquam sub hæc stella tales hære-  
siarthæ aliquo modo accipi possunt; quia ipsis  
cadentibus facta est magna fidei Christianæ  
ruina per peculiares sectas introductas in orbe.  
Ex quibus exorta innumera hæreticorum, tan-  
quam locustarum examina; tamen cum huic  
stellæ cadenti data sit clavis, seu potestas ad  
aperiendum puteum abyssi totam scilicet mali-  
tiam infernalem, videtur hic per stellam deno-  
tari, quandam veluti rationem generalem ad  
omnes ipsas sectas, errores, ac falsitates.

Et ideo quarto, ac ultimo dicendum est cum

Respondetur, quod objectio nullius est mo-  
menti; & primò Joannes non ait, vidi stellam  
de cœlo cadere; sed vidi stellam de cœlo cecidisse.  
Quod ad tempus præteritum refertur; ita occur-  
rit objectioni Pannon. & ante eum Rupert. in  
comment. hujus loci. *Quod, ait, ille cecidit,  
nullus hominum erat qui videret præter illum, qui in  
Evangelio suo loquitur dicens; Luc. 10. n. 18.  
Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo caden-  
tem: Qui enim hæc dicit homo Christus, prius erat  
Deus, quam homo fieret; prius quàm stella illa, hoc  
est Lucifer ille cecideret: imò priusquam Angelus, aut  
creatura aliqua fieret. Bene ergo non ait, vidi cade-  
re, sed vidi cecidisse.*

Aliter respondit & secundò Haymo, De cœ-  
lo, ait, hoc est de Ecclesia cadit quotidie Satanas,  
quando ex gentilitate quidam convertuntur ad  
fidem, sive ex parentibus Christianis nati fonte  
baptismatis regenerantur, & Diabolo renunciant.  
Cum Satanas jam à tot sæculis ceciderit de  
cœlo in terram, quid est, quod Joannes hic dicit  
se eum vidisse de cœlo cadere? Quotidie tamen  
de cœlo in terram cadere dicitur, quando scilicet  
media fide, vel pœnitentia, ad Deum quis-  
que erigitur; Ita enim dolore afficitur Satanas  
que tendit, ac sic quando ipse de cœlo in terram  
cecidit. Solutio valde moralis est.

Tertio & ultimo valde genuinè respondit  
Viegas. Quod casus iste Luciferi poterit Joan-  
ni per visionem imaginariam repræsentari. Ete-  
nim Joannes non solum non vidit re ipsa cadere  
Luciferum, sed nec etiam cecidisse; cum ergo  
ait se vidisse stellam de cœlo cecidisse in ter-  
ram, sine dubio de casu stellæ imaginario ac-  
cipiendus est, quem per visum conspexit, sicut  
& reliqua omnia, quæ in hoc volumine conti-  
nentur: Ac proinde vidit intuitu imaginario  
Luciferum cadere, ut originem, ac radicem  
omnium malorum ac Hæreticorum. Unde  
David Psal. 77. *Immissiones per Angelos malos.*  
Vix datur causa laboris, ac afflictionis humanæ,  
quam non moveat, vel saltem comitetur nequitia  
spiritualis Diaboli.

Idem Regius Vates decantat, Psal. 128. n. 1.  
*Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, sæpe ex-  
pugnaverunt me. Expugnatum se à juventute  
queritur; non tamen explicat causam vel ma-  
lum quod accidit, An verò si per  
Saullem, vel Philisthæos, vel per quemcumque  
alium, sed tamen semel, & iterum se impugna-  
tum*



Zeno.

13.

Psal. 2. Act. 4.

D. Chryf.

QUESTIO II.

Quare per puteum abyssi Hereticorum impietas significatur.

14. Filius Dei habet clavem ad salutem, diabolum ad mortem. Apoc. 1.

15. Ecl. 15. Prov. 18.

Can. 4.

D. Ambr.

16.

Gen. 14.

Narrat hic Joannes, quod huic stellæ, seu Luciferi data sit clavis putei abyssi, potestas nempe à Deo permilla ad hæresum colluvionem inferendam. Aliter datur clavis Filio Dei, aliter Luciferi, Dei autem filio de quo dicitur, cap. 1. num. 18. Habeo clavem mortis, & inferni: Traditur clavis ad perimendam mortem, & vitam dandam; Data est mihi omnis potestas predicare omni creatura. Matth. 28. At verò Luciferi datur clavis ad aperiendum puteum abyssi ad inducendum omne mortiferum venenum, & pestem errorum in orbem.

Sicut aqua in Scriptura denotat sapientiam. Ecclesiast. 15. num. 3. Aqua sapientia salutaris potabit illum. Prov. 18. n. 4. Aqua profunda verba ex ore viri. Sic & puteus denotat multitudinem sapientiæ, ut etiam & fons, Cantic. 4. n. 15. Ens hortorum puteum aquarum viventium. U. interpretatur D. Ambr. lib. de Isaac & Anima cap. 4.

At verò puteus cum adimento frequenter sumitur in malam partem & denotat doctrinam Hereticorum. Genes. 14. dicitur Vallis enim silvestris habebat puteos multos bitu-

minis. Quæ vallis illa fuit, in qua Pentapolis Sodomorum à Deo est everfa, quæ nunc est mare falsum. Puteos ergo illos Origen. homil. 12. in Numer. de Hereticorum aquis mortiferis exponit, & bene dicitur vallis, quia omnis iniquitas, semper depressa ad ima fertur; & bene mare falsum, quia peccatum nihil suave, nihil dulce habet, & putei repleti sunt bitumine, nam bitumen esca, & nutrimentum est ignis, ad ignem autem omnis hæresis est deputata.

In presenti non solum dicitur puteus, sed puteus abyssi. Abyssus, ut ex radice Græca colligit Ribera, significat profunditatem magnam legitur rem sine fundo. Et ideo dicitur in Scriptura de profunditate aquarum maris. Exod. 15. n. 5. Abyssus operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis. Et inde hoc nomine denotatur infernus. Luc. 3. n. 31. Et rogabant illum ne imperaret illis, ut in Abyssum irent. Dicitur autem in presenti Clavis putei abyssi, ad majorem emphasim. Unde Psal. 68. num. 16. dicitur Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum, Tria mala à se depelli deprecatur David ut explicat D. Augustin. Non me demergat tempestas aqua consentiens blanditiis victorum Non me absorbeat profundum. Ut ad profunditatem peccatorum deveniam. Non urgeat super me puteus os suum, id est non ita me teneat profunditas iniquitatis ut ad confessionem ac penitentiam non valeam converti: puteus inferni. Psal. 54. n. 24. Juxta communem sententiam dicitur de inferno ob profunditatem & obscuritatem.

Dicitur ergo Luciferi data clavis putei abyssi, hoc est permilla est potestas ad omnem malitiam hæreticalem per omnes orbis partes introducendam in mundum præcipue ultimis temporibus, & ideo dicitur talis potestas, seu clavis dæmoni data, quia ab ipso dæmone, ab ipsoque inferno omnis hæretica impietas ortum habet, ut ab aquis stygiis.

Tamen merito dubitabis, si puteus abyssi ita profundissimus est, quomodo fumus potuit ita ascendere, ut obscuritatem soli inferret, quia Hæreticus in principio, ita obtegit, & occultat virus suum, ac si nullo modo appareat, tanquam si esset immersum in profundo putei, sed ita postea insolenter insurgit ac spargit ut non veatur, si fieri potest, quod usque ad ipsum solem pertingat. D. Thomas Aperiit, ait, puteum abyssi, id est profunditatem tenebræ & nequitia Hereticorum fecit manifestam, quia hæreses prius latentes fecit profertur ad decipiendum alios. Quod præns docuerunt Eucherius Episcopus, & Beatus Presbyter lib. 1. contra Elipandum.

Omnis ergo Hæresum colluvies, omnesque Hæresiarchæ qui contra Dominum Jesum insurrexerunt à Satana inducti, ac agitati sunt, quorum typus fuit Judas, qui inter fulgentissimas stellas Apostolicas erat, ait D. Matth. 26. num. 47. Ecce Judas unus de duodecim venit, & cum eo turba multa, cum gladibus & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & senioribus populi. Ecce perfidus proditor, dux factus est pessimum hominum qui contra Jesum convenerunt, de quo ait Joan. 13. n. 27. Introivit in eum Satan. Omnes enim tales à Satana possidentur, & infliguntur.

D. Athanas. homil. de semete; componit Absalonem

Origen.

Puteus bituminis hæreticus.

Hæretici ad ignem.

17. Abyssus magnam profunditatem dicit.

Exod. 15.

Luc. 8.

D. Aug.

Psal. 54.

19.

19. Hæretici primum occultant suum venenum, postea manifestant.

D. Thom. Eucherius.

20.

Matth. 26.

Satanas duces Hæreticorum quærit. Joan. 13.

21.

2. Reg. 8.

Judas dux & Princeps Hereticorum

D. Athan.

21. Luc. 15.

Diabolus duces facit turpitudinum.

D. Chryf.

Absalonem cum Juda proditore, & ponderat divinitus factum esse, quod celebre illud Mausoleum ab Absalone in sui memoria erectum, vocatum esse Absalonis manus usque ad hanc diem, 2. Reg. 18. n. 18. Tunc sic ait D. Athanasius. Locus ille, ubi sublati sunt Absalon. Manus Absalon in hodiernum diem nuncupatur. En quam exacte imagines inter se congruunt. Si quidem locus ille non vocatus est per Absalonis, sed manus; neque item caput Absalonis, Prior enim fuit capite manus, que productionem exercuit secundum exemplar istius. Ita D. Athanasius conferens Absalonem cum Juda proditore; tanquam manus cum suo capite. Nam Absalon, & qui ante proditores extiterunt manus tantum erant; & qui postea, pedes computantur. Ut quæ Judas proditorum pessimum inque hominum caput factus est, Princepsque extitit, in quem Satanis introivit, à Satanaque possessus est, ut esset Dux & caput talium iniquorum, hoc enim maxime satagit Diabolus tales duces constituere ad alios decipiendos.

Prodigus ille filius à Patre suo separatus, missus est à Domino suo, ut porcos regeret & custodiret, ut pasceret porcos Luc. 15. num. 15. & quis Dominus iste, qui talem filium à Patre separatam ducem, ac rectorem porcorum, seu immundorum animalium constituit, Dominus iste diabolus erat cuius continuum studium est non solum homines iniquos, ac turpitudine plenos facere, sed etiam duces, ac capita eorum creare. D. Chrysolog. serm. 2. Quod autem mercenarius suos diabolus mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, qua contenta non est homines criminosos fieri, nisi eos duces criminum faciat, & magistros.

QUESTIO III.

Quare fumus exiens à fornace magna tantam caliginem ac obscuritatem, induit in orbe.

23. Hæreticorum doctrina obscurans & fœdida.

Alit Text. Et ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magna, & obscuratus est sol, & aer à fumo putei. Puteus in presenti est pravitas hæreticæ ab inferno prodians, superiori questione diximus, ab hac ergo pravitate hæreticali, tanquam à fornace magna ac maxime succensa & vehementer grassante, præcipue ultimis temporibus Antichristi, prodit densissimus fumus; id est propagatio, ac propropalatio hæreticæ doctrinæ, ut ut ad ipsum solem, nempe Christum D. pervenerit, non in seipso, sed ad eius cognitionem, ac fidem, ut latius dixi in expositione.

Reddè ergo Hereticorum dogmata fumo comparantur, quia videlicet lumen veritatis in caliginem vertunt, & omne quod in Scriptura sacra Electis lumen fidei præbet, totum penè Hereticis maligna cæcitate obscurare intendit, & vitam spiritualem in multis suffocet; cuncta filigine replet, in bonis lachrymas excitat, eorumque nares multo fœtore offendit. Valde fœdida est Hereticorum doctrina; Hinc Abdias Babylonic. lib. 4. Certaminis Apostolici narrat.

Quid clam Hermogenes ante pedes Apostoli Jacobus suos projecisset libros, ut comburerentur. Apostolum dixisse: ne forte odor incendii vester incensus appende Zabyris, Zabyra Græcè est repositorium armentorum, Lapides, & plumbum, & mitte in mare, preme verbum sequens, Ne forte odor incendii vester. Noluit Apostolus, ut illius hæretici libri igni traderentur, sed in mare projicerentur, quia ita fœdida, & maleolens illius doctrina erat, ut fumus, qui ex librorum incendio emanaret omnia inficeret, & fœtore suo canctorum nares offenderet.

Pro qua re audiendus est Pannonius de fumo sic differens: Quam acerba est, ait, doctrina Hæreticorum, apta metaphora explicatur, eo quod fumus exaquetur: fumus imprimis gravis odore est, acerbis usque ad lachrymas oculos pertingens, spiraculum vitæ impediens, amarus gustu, jugulo noxus: obest & intestinis maxime adeo pragnantibus, ut & fetum, quandoque vero solet præfocare: sæpe numero usque ad punctiorem ipsum cor pungit: officit nonnihil & capiti, ut nihil sit validum, quod non perturbet, nihil tam sincerum tam candidum, quod non fuligine inficiat: ut rectè per ipsum corruptum, ac pestilens Hæreticorum dogma capitur: quod primum fidei luminis privat mentem; ne recta acie certum cernat, deinde conscientiam perturbat, privat autem vitali gratia præculo, simulque omnia interiora inficit; ac corruptis, ad extremum luctum perurgens hominem.

Secundò, fumus iste, magnæ fornacis fumo similis perhibetur; fornax magna est novissima vexatio, novissimâque Antichristi persecutio, ex qua fumus egredietur, falsa nempe Hereticorum doctrina; sed de illa persecutione ait Christus. Matth. 24. Erit tunc talis tribulatio, qualis non fuit ab initio sæculi, usque ad tempus illud, nec fiet. Quomodo ergo iste fumus dicitur similis fumo fornacis magnæ? Quæ enim similitudo fumi cum persecutione inaudita. Itane intolerabilis fumus, ut ejus solum similitudo ita cruciet, ut illius cruciatus, tribulationis, qualis nunquam fuit, nec futura est nomen meretur: Hæc erit falsorum miraculorum apparentia adversus suos, Dei inauditam persecutionem commovebit Ansbertus Abbas Sciendum nobis est, ait, quod non propter tormenta, nec propter falsa dogmata, sed propter falsa miraculorum signa persecutio illa inmanior narratur. Hoc enim indicat Dominus dicens, tunc surgent Pseudo-Christi, & Pseudo-Propheta, & dabunt signa magna & prodigia; ita ut in errorem inducantur si fieri potest etiam electi. Citato cap. 24. Matth. eadem habet H.ymo.

Tertio, & fumo putei obscuratus est sol, & aer, sed quomodo sol luminare majus imò & luminis fons, ac etiam ipsa aeris regio, quæ valde perlucida, ac crystallina est, obscurari potuit. Respondet D. August. Obscuratum dixit solem, ait, peccata enim malorum, & superbiorum obscurant solem, id est Ecclesiam, & sanctis ac justis faciunt obscuritatem. Mala societas unius peccatoris, seu fumus peccatorum obscurant solem, ac aerem, id est Ecclesiam, ita sanctus, ac justus obscurant, ut vix splendor, ac lux eorum virtutum percipi, ac cognosci valeat; Quærit Philo Hebr. lib. de Opificio mundi cur Sol, & Luna per tot millium annorum, tam incessanter luceant, ac illuminent terram, Respondet. Malitia

Matth. 24. Falsorum miraculorum apparentia magna persecutio.

Ansbert.

27.

D. Aug. Mala societas unius peccatoris.

Philo.

Respondet.